

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Latium, vel campagna di Roma

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Regio & unde  
dicta.

Situs.

Soli fertilitas.

Urbes.

**O**FFERT se nunc percurrendum *Latium*: Italiae Regio: quae nullis non Auctoribus celebrata. *Latium* dictum putatur ab Saturno, qui Patria profugus in his locis latuisse fertur: Varroni placet *Latij* nomen huic Regioni datum, quod inter Alpium & Apennini sublimis praecipitesque rupes, Mare, Tiberim atque Lirim, tanquam abscondatur & lateat. Alii *Latium* ab Latino nominatur Rege. Nonnullis ab *Latitudine* dirivatur, quod nulla Italiae Regio latius se inter Montes & Mare adspiciendam praebat. Hodie *Territorium Romanum* vel *Campagna di Roma* vocant. Fines Latii plerisque statuuntur ad Septentrionem Apenninus Mons & Anio fluvius: ad Ortum Liris: qua Meridies est, Mare Tyrrhenum: qua Occasus, Tiberinum flumen; ambientibus illud Populis, Tuscis, Sabinis, Marlis, Samnitibus, Praegutianis & Campanis. Fertilis & abundans est Regio: praeterquam aliquibus in locis, propter Oram: quibus cum aspera saxosaque habet multa, tum Paludes, & ex Paludibus Acrem vitiosum atque gravem. Primi incolere Siculi, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Aurunci, Volsci, Osce, Ausones, & alii. Haec de Latio universim paucis: flagitat Methodiratio, speciatim ut perlustrem, orsus ab Vrbe, quae Orbis quondam compendium. Ea Prima, in Antiquo Latio, Tiberim ex Etruria transgresso se cum incredibili hodieque majestate offert. Haec nomen suum semel obtentum retinet. Sita est loco non admodum fertili, Aulro objecta: Caeli gravioris & intemperantioris. Ambitus, qui quondam Romae fruisse scribitur tredecim millium passuum, hodie multo minor esseprehenditur. *Turres* in Murosum ambitu circiter cccclx: olim dccclx; *Regiones*, ut olim, sic hodie, sed mutatis nominibus, sunt xlv. *Aquae* nunc *Tiberis* & *Almo* fluvii Occurrunt etiam variis locis reliquae Fontium ex veteribus ductibus. *Fora* conspiciuntur varia. Colles moenibus includuntur v. 11. Ab his Roma *Septicollis* quibusdam: *Septimontium* Varroni, *Septemgemina* Statio. Sunt praeterea in Vrbe Templi ccc atq; amplius. *Cryptae subterraneae*: quae quondam, Imperatoribus in Christianos sevientibus, ipsorum fuerunt latebrae & sepulcra, quatuor. *Cimiteria*, quae partim olim fuerant, partim nunc sunt, numerantur xxv. 111. *Xenodochia* publica omnium nationum v, singularum quarundam singula Praeter *Academiam* sunt xx *Seminaria* & *Collegia omnium nationum* ab Gregorio 111 P. instituta. *Bibliotheca* publicae multae, tres in Vaticano, una selectorum librorum clausa; altera minus secreta: tertia quae diebus profellis per duas horas omnibus patet. Sunt & aliae etiam in Templis B. M. in Ara caeli; S. M. de populo, S. M. supra Minervam. S. Aug.: & alibi. *Horti Pontificis* & Cardinalium, *Bosilices* & *Palatia*, per universam Urbem varie dispersa sunt. *Aqueductus*, *Thermae*, *Arcus*, *Triumphales*; *Amphitheatra*, *Theatra*, *Circi*, *Porticus*, *Columnae*, *Obelisci*, *Colossi*, *Pyramides*. *Naumachiae*, *Septizonia*, *Equi*, *Statuae* in publico & privatim spectandae, aliaque plura, quorum numerum descriptionemque accuratorem non fert instituti operis ratio. Haec hodie qui viderit, comparaveritque cum veteri Roma, merito dixerit.

*Qui miseranda vides, veteris vestigia Roma*

*Ille potest merito dicere, Roma fuit.*

Haec







Hæc de Roma pro loci angustia sufficiant : qua versus Meridionaliora egresso sese offert *Ostia* Latinis, ut & Græcis. Gravioris est Cæli & pestilentis Aeris. Ager Pepones fert copiose. Olliis relictiis, reliqua Latii Opida præcipua quæ mari fere adsident, pervagabor. *Neptunium* agro fertiliore situm est : Cives Aucupio & Piscatori vacant, hodie pertinet ad *Columnenses*. *Astura* Plinio quidem Flumen cum Insula cognomine: Tabulæ vero Itinerariæ, Opidum, quod forte fuit vel ad flumen in Continente, vel in Insula. Locus hic memorabilis cum indignissima M. Tullii Ciceronis, Antonium fugientis cæde; tum Corradini fato Henrici F. Friderici 11 Imperat. N. quem Carolus Eculifmenfis securi percussit. *Taracina* vel *Tarracina*, *Taracina* Straboni : *Tarracina* Ptol: *Tarracine* Steph: *Terracina* apud Antoninum. Volscorum lingua *Anxur* vocabatur. Opidum est exiguum, sed frequens & honestum. Muri ex quadrato silice absque cemento facti. Ager ejus fecundissimus est & amoenissimus, Vitibus, Aurantiis, Citris, Limonibus, aliisque id genus Arboribus abundans. *Caieta*, *Caiatia* Strab. Hodie *Gaietta*. Vrbs est munita cum primis: Arcem habens invicissimam, cum Turri altissima, Summo in Monte, quæ superioribus annis, Gallis profligatis, muro cinxit Ferdinandus, Aragonum & Neapolitanorum Monarcha. *Sinu* ad Urbem *Caietanus* audit, apud Strabonem. Portam ibi fuisse celeberrimam, amplissime ab Antonio Pio resectam, refert Spartianus. Hodie nullus est. Meditæranæ Latii loca perlustranti offerunt se *Velutæ*, Straboni *Belitra* Steph. vulgo *Belutæ*, vel ut alii scribunt, *Belletæ*. Opidum vetustissimum Volscorum, amplum: & populo satis frequens, Episcopatus fulgens dignitate. Venustissimi situs, jucundissimi prospectus. Mœnibus undique cinctum. *Alba* Latinis, *Alba* item Græcis. *Longam* cognominant Veteres Scriptores, ab Situ. Hodie *Savello*, si Leandro fides: si aliis, *Gandolffi*, vel *S. Gandolffo*. Conditor ejus *Ascanius* Ænææ Filius, xxx post ædificatum Lavinium anno. Hodie plane desolata jacet. Nunc Septentrionaliora Latii per viam Valeriam Tiburtinamque peragremus. Hic primo se offert loco *Tibur*, Ptol. *Tiburæ* Strab. *Tivoli* hodie. Vrbs ad Anienem fl. Roma distans CL Stadiis, Procopio. Cælo est temperatissimo: locoque ob Aquarum Fontiumque copiam saluberrimo. Episcopatus Titulo est nobile. *Marvium* ad Fucinum Lacum, Marforum olim Caput, exiguis nunc se prodit, vestigiis; quæ *Marvo* vulgo, nominant. *Alba* Latinis, ut & St. *Alban* hanc, quod in penetrabilibus regionis sita, & permunita undique esset, tradit Strabo. Romanos iis, qui custodiendi erant tamquam carcerem assignare, consuevisse. Ruinis nunc tota fere collapsa jacet. *Prænestæ*. *Prænestus* Strab. *Prænestum* Ptol. hodie *Palastrina*. Situs ejus in declivi Monte ad Venestrim fl. olim longe fuit & amoenissimus; & jucundissimus; ideoque florent Re Romana frequenter Imperatores Augusti huc animi gratia secessisse leguntur. *Arx* summo Mōti in quo conditum, imposita est. Episcopatus hodie gaudet dignitate. *Tusculum* multis olim nominibus insigne, quod haud procul ab *Frascata*, abfuisse censet ex ruderibus, quæ hodieque visuntur, Viri docti. Plura sunt hujus Nobilissimæ Partis Italiæ Opida, quæ brevitatis studio omittimus. Sunt & Latio Lacus.

*Hostia*



*Hoffie Lacus* habet Obsequens : *Stagno* vulgo vocatur. Inter Marinum & Albam Longam *Lacus* est *Albanus*, cuius meminit Livius Lib. v. Hodie *Lago di Castel Gangolfo* : Sunt & *Lacus* val *Stagnum Nemorense*, hodie *Lago di Nemo* ; *Juturna Lacus* : *Regillus*, hodie *Lago de S. Prassode* : *Fucinus* hodie *Lago di M. osos* : *Pontina* vel *Pomptina Palus* etiam in Latio describitur a Plinio, nunc Ausente Palude. *Fundanus Lacus* : *Tiburinus* : *Caenbus* & *Simbrunna Stagna*, *Flumina Tiberis* quem in generali descriptione delineavimus, & varia fl. quæ cum eo, nominibus amissis, Mare petunt. Reliqua Latii, ut antiquitus appellabantur, *Numicius*, *Lavacina*, *Stura*, *Nymphæus*, *Ufens*. Montes præter septem Urbis Romæ, Colles, de quibus supra, *Albanus* est, scriptoribus omnibus Græcis Latinisque celebratissimus. *Mons Cacubus* in Sinum Caietanum usque porrectus, ab Vini, quod fert, generositate nominatissimus. *Vestinus* item, *Algidus*, *Aventinus*, *Lepinus*, *Catillus*. *Ceraunos* etiam Montes Latii habet *Halicar*. *Silva* sunt *Silva* sive *Lucus Feronia*, *Lucus Jovi Indigeti sacer* : *Diana Eolice Lucus*, *Silva Nævia* : *Campanarum Lucus* : *Algidum Nemus* : *Albana Silva* : *Angitia Nemus* : & *Furina Lucus*. Populi hujus regionis ab hæc usque tempora præterquam in Civitatibus, plerumque rudes, moribusque agrestibus, animis audaces confidentesque : Viribus corporis, non minus quam olim præstantes, Ecclesiastica ex Provinciali Romani Pontificis apud Mercatorem sic habent. *Roma* caput omnium Ecclesiarum dicta, in qua residens Papa sub se habet intra urbem v Ecclesias Patriarchales dictas, quæ sunt Ecclesia *S. Joannis Lateranensis*, *S. Petri Monasterium*, *S. Pauli* intra muros urbis, *S. Maria Major*, & *Monasterium S. Laurentii*. His Ecclesiis adsignati Episcopi v i i i primum dicti Archiepi Pyteri. Primus & summus Papa, reliqui sub eo, *Ostiensis*, qui Patriarcha Campaniæ, & *Papam* consecrat, huic junctus est qui sequitur *Velletrensis* sive *Volevensis* : *Portuensis*, sive *S. Ruffina* & *Secunde*, *Sabinensis*, *Tusculanensis*, *Prænestinensis*, *Albanensis*. Iisdem Ecclesiis adsignati sunt Presbyteri Cardinales xxv i i i videlicet *Titulo S. Crucis* in *Ierusalem* : *Tit. S. S. Joannis & Pauli* : *Tit. S. Stephani* in *Celiomonte* : *Tit. S. Susanna*, *Tit. S. Petri ad Vincula*. *Tit. S. Priscæ* : *Tit. S. Siriaci* in *Thermis* : *Tit. S. Marcelli* : *Tit. S. Balbina* : *Tit. S. Grisogoni* : *SS. Marcellini & Petri* : *S. Anastasia* : *S. Clementis* : *S. Potentiana* : *S. Martini* in montibus : *S. Præcedis* : *S. Marci* : *S. Laurentii* in *Lucina* : *S. Maria* in *Tranliberina* : *SS. iv Coronatorum*, *S. Sabina* : *SS. Nerei* : & *Archibisi* : *S. Sixti* : *S. Eusebii* : *S. Vitalis* : *Basilicæ xii Apostolorum* : *S. Laurentii* in *Damasi* : *S. Cecilia*. Iisdem adjuncti Diaconi Cardinales xv i i i. Extra Urbem in Campania maritima Episcopi, *Agnaninus*, *Alatrinensis*, *Fundanus*, *Tiburinus*, *Sagninus*, *Terracinenis*, *Verulanus*, *Ferentinus*, *Soranus*, *Aquinus*. Habet etiam sub se Papa per alias Orbis ditiones iv Patriarchales Ecclesias, quibus ibi constitutæ Ecclesiæ subsunt : *Constantinopolitanam*, *Alexandrinam*, *Antiochensem*, & *Hierosolymitanam*.